

objectiva, et ideo ad illam applicanda sunt omnia adducta in priori puncto. Et idem dici potest de circumstantia *loci*, nam bonum operari, per se loquendo, bonum est, praesertim in actibus internis, de quibus agimus. Si autem fingamus addi aliquam positivam prohibitionem, ut rationes dubitandi positae in n. praeced., videntur supponere, sicuti multi censent probabile non posse prohiberi talem circumstantiam actus de se boni, si non impedit alium actum; sic D. Thomas in illo art. 2, ad 2, generatim docet non posse esse per se malum exercere bonum actum interiorum, sed solum per accidens, quatenus impedit alium actum. Sic Almainus, in 3, dist. 23, quaest. 1, dicit Deum non posse prohibere dilectionem sui quolibet tempore per se solum propter carentiam ejus, sed solum quatenus illa carentia potest esse necessaria ad alium actum, et citat Scotum, in 4, dist. 16, quaest. 1, ubi ex dictis ejus sumi potest, quamvis non aperte dicat, et ratio esse potest, quia prohibitio, seu lex esse debet prudens, et consentanea rationi, ac de re ex se bona; carentia autem actus boni, ut sic, in hoc tempore, vel in hoc loco, vel in hac intentione per se non est bona; ergo nec per se potest lege praescribi.

12. *Id tamen vere dicitur ordinarie, non absolute loquendo.* — Nihilominus quamvis hoc, moraliter loquendo, et ex natura rei sit verum, quod satis esse posset ad nostram assertionem, tamen absolute non videtur involvere repugnantiam, quia si Deus vellet hanc legem imponere, non deesset illi sufficiens ratio, ut sancte fieret et sufficienter, saltem ad exercitium, obedientiae, et ideo admissa tali lege prohibente hic et nunc exercitium amoris Dei, probabile valde est non posse voluntatem elicere pro eodem tempore actum dilectionis per se, et ex objecto bonum, nec posse amare Deum, ut est summum bonum honestum propter se amabile, quia facta illa suppositione, si homo advertat, et prudenter judicet non proponet sibi Deum, ut objectum sibi conveniens in ordine ad actum dilectionis exercendum; unde quamvis talis prohibitio per se non cadat in objectum, sed in actum: tamen consequenter efficit: ut objectum non sit conveniens homini in ordine ad talem actum tali tempore, loco, vel modo exercendi: mutato autem objecto moraliter, et sub ratione convenientis, necesse est mutari actum, qui in ea ratione objecti fundabatur. Aliter etiam potest hoc ex parte ipsius actus explicari: nam ad eliciendum actum virtutis per se bonum ex

objecto, non satis est in universali judicare de actu, vel objecto, sed in particulari prudentiale judicium ferre de convenientia, et honestate actus prout hic et nunc exercendi, quia ad honestatem simpliciter non sufficit unum sine alio, et quia non solum objectum, sed etiam actus ipse suo modo amatur ex vi talis virtutis, vel honestatis: ergo oportet ferre judicium, non tantum de honestate objecti in se, sed prout redundat in actu, seu de honestate etiam ipsius actus: quod maxime verum est in actibus liberis, in quibus intercedit quaedam virtualis electio, qua homo eligit hunc actum potius, quam alium, vel quam carentiam ejus, seu eligit exercere illum hoc tempore, aut loco potius, quam alio: ut ergo studiose, et prudenter fiat, necesse est judicare non tantum de circumstantiis objecti, sed etiam ipsiusmet actus interioris: ergo oportet, ut honestas actus consurgat ex objecto, et circumstantiis tam objecti, quam ipsiusmet actus; ergo quia ratione non potest actus ex objecto esse bonus et malus ex circumstantiis objecti, eadem non potest esse simul malus ex circumstantiis ipsius actus.

Expeditur tertium dubium positum num. 6.

13. *Expeditur dubium in uno sensu.* — Circa tertium punctum videtur frequens operandi modus, quod homo ordinet actum ex se bonum in finem malum, quod duobus modis potest intelligi fieri, primo, quod hujusmodi finis fit proxima, et tota ratio exercendi alium actum circa objectum de se bonum, ut cum aliquis ex intentione vanae gloriae vult dare eleemosynam, ita ut illa voluntas eleemosynae, sit pura electio, et proximum motivum ejus sit ipsa vana gloria, et tunc nulla est difficultas quin actus voluntatis habens bonum objectum possit habere malitiam ex fine, tamen in eo casu tunc non habet ille actus aliquam bonitatem simul cum malitia, quia ab objecto nullam sumit, quando materialiter tantum in illud tendit, non formaliter, quatenus honestum est: quod a fortiori patet ex dictis supra de bonitate, nam si finis honestus induens rationem proximi motivi excludit specificationem propriam ex objecto, quanto magis id faciet finis malus: et in hoc sensu verissimum est, quod D. Thomas docet, 1, 2, q. 19, art. 7. Quando intentio finis antecedit voluntatem, non posse voluntatem esse bonam, nisi intentio sit bona, quia tunc, inquit, ordo ad finem consideratur, ut ratio quaedam ipsius voliti, bonitas autem

voluntatis pendet ex bonitate voliti: sic etiam sumi potest, quod dixit Ambrosius 1, Officiorum, cap. 30: *Affectus tuus operi tuo nomen imponit,* et Chrysostomus, homil. 19, imperfect. in Matthaeum, *Voluntatem judicari bonam, vel malam ex proposito:* et Augustinus, Psalm. 31: *Bonum opus intentio facit,* quod idem est de malo. Itaque in hoc modo nulla est difficultas.

14. *Proponitur alter sensus.* — Aliter ergo intelligi potest actum elicitem a voluntate circa objectum honestum, et proxime propter honestatem ejus extrinsece operari et referri in malum finem per alium actum intentionis, vel electionis circa talem finem, sicut supra dicebamus de actibus bonis, et circa hoc videtur aliquibus impossibile actum sit bonum imperari ab actu malo, quia actus imperatus debet esse proportionatus imperanti; actus autem bonus non habet proportionem cum actu malo, nam potius habet in se repugnantiam saltem sub communi ratione virtutis et vitii, et quatenus unus procedit ex prudenti judicio, alius ex imprudenti; et sic praeterea declaratur, quia quotiescumque unus actus voluntatis imperatur ab alio in ordine ad finem suum sumitur, ut medium ad illum finem; sed actus studiosus, ut sic, non est medium proportionatum ad finem pravum consequendum; omnis enim finis humanus, est temporalis, qui obtineri potest medio actu interiori recto, et studioso, potest facilius comparari per actum moraliter similem circa idem materiale objectum, ut si quis potest honorem, vel famam lucrari dando eleemosynam, ad hunc finem impertinens est, quod illa eleemosyna sit ab operante intenta: ut honesta, vel sub quacumque alia ratione; ergo actus honestus, ut sic, non potest imperari ab actu malo, et ita non potest habere simul bonitatem ex objecto, et malitiam ex fine. Denique si rationes factae de reliquis circumstantiis, et de prudentia regulante bonitatem actus quidquam valent, eadem explicari possunt in praesenti; ergo.

15. Nihilominus quod possit actus bonus ex objecto per alium actum denominari malus in ordine ad finem pravum, videtur posse sumi ex D. Thoma, 1, 2, quaest. 19, art. 7. Quamvis non de quacumque intentione antecedenti, sed de consequenti id affirmat, et q. 2, de Malo, art. 2, ad 4, etiam de ipso amore Dei concedit posse male fieri ex prava intentione: idem Ocham, in 2, quaest. 19, et potest haec sententia sic declarari, nam primo non videtur negandum, quin voluntas pro sua libertate posset actum bonum a se elicitem per alium

actum distinctum imperare, et in pravum finem referre, quia quamvis demus actum bonum, ut sic, non esse simpliciter necessarium ad finem pravum, tamen non potest dubitari, quin possit esse utilis, et utilior etiam, quam reliqua media, ut patet exemplis, nam credulitas rerum divinarum potest existimari utilis ad honores, et commoda temporalia, unde quamvis ad hunc finem possit fortasse sufficere credulitas humana: tamen etiam posset prodesse credulitas infusa, et potest etiam utilior reputari propter majorem firmitatem: atque eadem ratio fieri potest de quocumque actu virtutis: ergo potest voluntas pro libertate sua uti hoc modo potius, quam alio, quia non ordinat illud ad finem pravum, ut pravum est, sed quatenus in eo aliquid commodi, vel boni relucet, quin potius interdum potest fingi tale medium necessarium ad talem finem, ut exercitium interioris actus amoris Dei, vel spei potest existimari necessarium ad aliquam vanam delectationem, vel certe ad habendam libertatem in peccando, etc. Unde fere omnes auctores concedunt actum fidei, etiam supernaturalem posse imperari ab intentione vanae gloriae, vel simili. Cajetanus, 2, 2, quaest. 5, art. 2, et communiter doctores in illa materia: est autem eadem ratio de caeteris virtutibus, ut supra dicebam in simili. Confirmari potest ex Augustino, de Civitate, cap. 12 et 15, ubi significat Romanos, quamvis vana intentione, aliqua tamen opera virtutis fecisse, propter quae premium aliquod temporale a Deo meruerunt. Vide dicta in tract. de Fide, disp. 6, sect. 7, a n. 10, et lib. 2, de Gratia, cap. 3, a n. 13. Unde ulterius necessario sequitur actum a voluntate elicitem, quamvis per alium actum referatur in malum finem, non amittere bonitatem intrinsecam, quam ex objecto habet, ut probat testimonium Augustini nuper adductum: et ratio est, quae ex principiis supra positae colligitur, quia ille actus constituitur in sua intrinseca entitate per ordinem ad objectum: relatio autem ad finem extrinsecum tantum est in illo extrinseca denominatio; ergo non potest illemet actus referri in finem extrinsecum si aufertur ab illo bonitas intrinseca, quia ex hoc omnino destrueretur, et praeterea sola denominatio extrinseca non sufficit ad hoc. Confirmatur morali inductione, quia vix est homo, qui dum aliquid studiose operatur, non aliquid peccet per sinistram aliquam intentionem insurgentem, aut gloriae vanae, aut vanae delectationis, etc., non est autem credibile propter hujusmodi actum

amitti totum fructum bonarum electionum, esset enim res valde rigida, et præter humanas vires.

16. *Non est inconueniens actui bono ex objecto addi malitiam ex fine extrinseco.* — Sed tunc ulterius restat dicendum, an illi actui adjungatur aliqua malitia ex tali relatione: videtur enim consequenter ita esse dicendum, quia supra dictum est actum a voluntate elicium simul, et imperatum, quatenus imperatus est, denominari bonum, vel malum ab imperante. Unde si actus est indifferens ex objecto a tali imperio, dicitur absolute malus: si autem est malus ex objecto, habere potest novam speciem malitiæ ex tali imperio: ergo similiter, etc. Neque in hoc videtur esse aliquod inconueniens, cum enim una bonitas sit intrinseca, et per alia per denominationem extrinseca, nullum videtur inconueniens, quod in uno actu conjungantur, nam ibi interveniunt, sicut duo actus voluntatis, ita duo judicia intellectus: unum circa objectum, et intrinsecas circumstantias ejus, et ipsius actus prout circa illud elicendus est, et hoc potest esse prudens: aliud circa finem, et media propter illud eligenda, et hoc potest esse imprudens, et non satis consideratum: atque ita ex hac parte non est eadem repugnantia in fine, quod est in aliis circumstantiis. Diximus etiam supra bonitatem, vel malitiam ex fine extrinseco non esse objectivam in medio, sed primo fundari in relatione voluntatis, quod secus est in cæteris circumstantiis, quæ concurrunt ad componendum unum objectum respectu bonitatis, vel malitiæ, ut supra dictum est: Est ergo hic modus dicendi valde probabilis absque magna difficultate.

17. *Oppositum defendi potest.* — Nihilominus posset aliquis defendere hanc relationem actus boni interioris in pravum finem, vel non esse possibilem, vel eo modo, quo possibilis est, non sufficere ad denominandum actum relatum. Duobus enim modis intelligi potest voluntatem referre actum bonum in malum finem, primo imperando proprie, id est, ex vi intentionis pravæ, excitando se, et applicando se primo ad amorem alicujus boni honesti, ut honestum est: et hic modus videtur necessarius ut unus actus ab alio denominetur malus, quia si non fiat hoc modo, neque est effectus ejus, neque ab illo proprie informatur moraliter: non videtur autem possibile hoc modo imperari actum bonum a malo, propter rationes in principio hujus tertii puncti factas, quæ saltem moraliter hoc videntur convincere. Item, quia hoc pacto optime redditur ratio, ob quam

prava voluntas non potest immediate imperare actum fidei infusæ, quia motivum tam imperfectum, et infimi ordinis non potest elevare voluntatem, vel intellectum ad actum superioris ordinis. Alio tamen modo fieri potest, ut voluntas per sese sufficienter excitata ab honesto objecto, ut honesto, dum elicit actum circa illud, et primario propter illud, quasi obiter, et concomitanter gaudet de illo actu propter finem indebitum, et consequenter eum refert in illum; et hic modus est sine dubio possibilis; tamen probabile est sufficere ad denominandum illum actum malum, quia non respicit illum, ut effectum, sed pure ut objectum: sicut possem ego vane delectari de bono actu ab alio facto, et hoc videtur sensisse divus Thomas 1, 2, quæst. 19, art. 7, per distinctionem illam de intentione antecedenti et consequenti, et eodem sensu dicit sæpe nos uti male virtute, ut objecto, scilicet 1, 2, quæst. 55, art. 4, atque hoc modo omnia facile conciliantur, sicque optime intelligi potest unum hominem simul mereri, et demereri per diversos actus, qui licet cum aliquo ordine concomitanter se habeant, tamen unus est bonus et alius malus, et hic non tollit integram bonitatem illius, quia proprie non est circumstantia ejus, ut actus, quomodo dixit Corduba, lib. 1, quæst. 50, circumstantias malas, quæ tantum concomitanter se habent ad actum bonum, non emaculare illum: dixisset tamen melius illas non esse circumstantias, quia non afficiunt moraliter.

18. *Satisfit motivis contententibus nunquam dari opus meritorium factum cum fine non bono.* — Atque hinc facile respondetur ad rationes, et testimonia in n. 13, quibus probatur eos, qui vana intentione operantur, nullam habere mercedem, et consequenter neque bonitatem aliquam, quæ Deo placeat: nam id est verum, quando prava est voluntas, quæ movet ad cæteros actus; at vero quando voluntas vere movetur ex bonitate objecti, jam ea ratione habet bonum finem, et consequenter, ut sic potest habere meritum, quamvis concomitanter habere possit aliquam pravam intentionem, a qua nullum possit oriri meritum, sed potius demeritum. Dices ergo posse aliquem simul diligere Deum super omnia, et male uti illo amore saltem ut objecto, referendo illum in malum finem: consequens videtur aperte involvere repugnantiam, quia amor Dei repugnat formaliter cum peccato actuali. Respondetur eum dicimus voluntatem posse male uti actu bono per malum actum, intelligendum

est, quantum est ex communi ratione bonitatis et malitiæ, nisi aliunde sit repugnantia ex parte objecti et finis: sicut in communi loquendo non repugnant simul esse actus bonos et malos in voluntate, repugnabunt tamen si in suis objectis includant contradictionem, et hac ratione nequit fieri, ut cum hac efficaci voluntate, *Volo nullum peccatum habere*, sit actuale peccatum: sic ergo dicendum de amore Dei: est enim quidam amor Dei perfectus, et efficax ex modo, et ex objecto, quo voluntas actu vult placere Deo in omnibus, tam gravioribus, quam levioribus rebus, et hoc actu nemo potest male uti, etiam venialiter, quia hic malus usus repugnat cum illo actu ex parte objecti illius: alius vero est amor Dei perfectus quidem substantialiter, non tamen omnino, ut cum quis vult efficaciter habere Deum pro ultimo fine, et vitare omnia peccata mortalia, quæ ab illo avertunt, et hoc actu non potest voluntas male uti mortaliter, propter eandem repugnantiam, potest tamen venialiter, quia objectum illius amoris non excludit omne peccatum veniale, et ita quoad hoc eadem est ratio de hoc actu, et de quolibet alio studioso.

19. *Actus non amittit bonitatem suam, eo quod careat relatione ad finem bonum extrinsecum.* — Ultimo circa hunc punctum constat ex dictis, quid dicendum sit de actu bono ex objecto, an possit fieri malus retenta priori bonitate ex objecto, ex sola carentia relationis in ulteriorem finem bonum, sicut actus indifferens ex objecto fit malus ex sola carentia boni finis. Dico ergo, moraliter loquendo, ex natura rei id non posse accidere: quia si objectum est bonum, et ut sic est intentum, ipsummet est sufficiens finis bonus; unde ad bonitatem actionis non requiritur relatio in ulteriorem finem, et ideo e converso, non potest actus habere malitiam ex carentia talis relationis: si vero fingamus ex speciali præcepto imponi hanc obligationem, tunc non censeo inconueniens reperiri simul hanc malitiam cum aliqua bonitate, tamen bonitas erit intrinseca actui, malitia vero primo et per se consistit in omissione alterius actus, quo alter erat referendus in ulteriorem finem, a qua privatione, vel carentia nihil obstat alium actum extrinsecum denominari malum.

Resolvitur quartum dubium positum, num. 6.

20. *Casus hujus dubii possibilis est.* — Circa quartum punctum, an actus ex objecto malus relatus in bonum finem habeat simul bonitatem et malitiam: supponendum imprimis posse

voluntatem libertate sua hoc modo operari, sicut, Exod. 3, obstetrices mendacio usæ sunt ad tuendam vitam infantium Judæorum: et ratio est, quia actio prava ratione ejus, quod materiale est in ipsa, potest esse utilis ad consequendam aliam rem bonam et honestam, sic enim subripere rem alienam potest esse utile ad subveniendum proximo indigenti, et hoc docuit D. Thomas 1, 2, quæst. 19, art. 8.

21. *Prima opinio affirmativa et ejus motiva.* — Hoc ergo posito tres possunt esse modi dicendi. Primus est in eo casu intentionem bonam adeo esse utilem et efficacem, ut auferat totam malitiam electionis. Ad quod confirmandum adduci possunt Patrum testimonia supra citata, num. 13, quod finis discernit humanas operationes: unde Cassianus, collat. 17, dicit mendacium etiam excusari propter bonum finem: quod potest confirmari exemplo obstetricum, quæ præmium a Deo receperunt, et ratio adjungi potest, quia intentio est, quæ dat speciem actioni.

22. *Rejicitur simpliciter.* — Nihilominus hoc non potest esse in universum verum: potest quidem interdum bona intentio efficere inculpabilem ignorantiam, vel inconsiderationem circa malitiam medii, et tunc excusabit, non propter bonitatem intentionis, sed propter ignorantiam, quæ reddit involuntariam malitiam medii: non est tamen necessarium hanc ignorantiam semper intervenire, interdum enim homo sciens mendacium esse malum, hic et nunc, vult mentiri propter tuendam vitam amici, et idem interdum erit, interveniente ignorantia vincibili, et tunc est certum electionem esse malam, ut constat ex D. Thoma, 1, 2, quæst. 19, art. 7, et in 2, dist. 38, art. 4 et 5, ubi etiam Magister, dist. 40, cum aliis doctoribus, sumitur ex Augustino, lib. contra Mendacium, cap. 3 et 4, et ex Aristotele 6, Ethic., cap. 7. Et ratio est clara ex dictis, quia non obstante bona intentione malitia medii est voluntaria, sed ut actus voluntatis sit malus, non opus est, ut malitia objecti sit intenta, satis est, quod sit quomodocumque volita directe, vel indirecte, ut supra probatum est: ergo talis electio habet malitiam ex objecto suo: est ergo simpliciter mala: et ita est soluta ratio in contrarium: de testimoniis autem adductis dicam statim respondendo ad similia sumpta ex Evangelio. Ad illud autem Exod. 3, distinguendi sunt duo actus: unus fuit per modum intentionis, scilicet voluntas liberandi proximum a morte, et ille fuit meritorius, et propter illud præmium receperunt: alius fuit

per modum electionis, scilicet voluntas mentiendi, et in illo nullum fuit meritum. Ita fere D. Thomas 2, 2, quæst. 110, art. 3, ad 2, ponderans verbum illud: *Quia timuerunt obstetrices Deum*: addit vero ibi art. 4, ad 4, etiam per actionem mendacii potuisse mereri saltem aliquod temporale præmium, quatenus procedebat aliquo modo a voluntate bona, propter Gregorium 18, Moralium, cap. 2. Sed hoc difficilius est, sufficitque responsio data.

23. *Instatur ex testimoniis Scripturæ.*—Sed objici potest illud Matthæi 6, et Lucæ 11: *Si oculus tuus fuerit simplex, etc.*, ubi dicit Chrysostomus, homilia 25, *per oculum* intellectum intelligi: cæteri vero Patres intelligunt rectam intentionem: et revera est aperta intentio Christi Domini: nam de hac re instituerat sermonem, unde incipit: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*, et ita exponit Augustinus, lib. de Opere Monachorum, cap. 16, concludens tale esse factum, qualis est intentio. Idem, lib. 4, contra Julianum, cap. 13, et D. Thomas 1, 2, q. 11, a. 15, ad 1 et 2, Abulensis, q. 179, memb. 6, non potest ergo, si intentio est bona, electio esse mala: quod etiam confirmant illa verba Matthæi 7, et Lucæ 6, *non potest arbor bona malos fructus facere*: ubi etiam per arborem bonam intentio bona intelligitur. Ad primum testimonium respondetur, si nomine *oculi* intelligamus præcisum actum intentionis, ut condistinctum ab electione, sic regulam illam non esse simpliciter necessariam, sed moraliter intelligendam, quia ut in plurimum ita accidit, ut ibi Jansenius exponit, vel certe intelligitur quantum est ex parte intentionis formaliter sumptæ, ut bona est. Secundo vero, meliusque dicitur *oculum* ibi appellari intentionem non tantum secundum se, et præcise sumptam, sed etiam participatam in electione: unde si intentio est bona, electio autem mala, non potest dici simplex mentis oculus, ut recte Bonaventura, in 2, dist. 38, quæst. 1, et significat D. Thomas, in 2, dist. 38, quæst. 1, a. 1, dicens intentionem vocari *oculum* quatenus virtus intentionis manet in ratione ordinante media ad finem: quæ ordinatio simplex non erit, nisi honesta media ad honestum finem ordinentur. Atque eadem est responsio ad secundum testimonium, si per *bonam arborem* bonam intentionem intelligamus cum Augustino, 1, de Gratia Christi, cap. 18 et 19, et lib. de vera et falsa Pœnitentia, cap. 2, tamen ad litteram non tantum bona intentio, sed simpliciter bona voluntas intelligitur, ut notat

D. Thomas, 1, 2, quæst. 20, art. 2, ad 1, et 1 part., quæst. 49, art. 1, ad 1, quæst. 1, de Malo, art. 3, ad 1, et sumitur ex Augustino, 1, contra Adimantum, cap. 26, ubi adducit illud Matth. 12, *aut facite arborem bonam, etc.* Unde colligit esse in potestate hominis *facere arborem bonam, quia est in potestate ejus facere bonam voluntatem, a qua non possunt prodire nisi boni fructus*. Item lib. 1, contra Julianum, c. 3, 2, de Nuptiis, cap. 26, in Enchir., c. 15, Anselmus, Matth. 7, neque est dissimile, quod alii dicunt, per *arborem bonam* intelligi bonum hominem, quod est certe satis consentaneum verbis Christi, dicentis, *Omnis arbor, quæ non facit bonum fructum, excidetur, etc.*, et ideo concludit: *Omnis homo de thesauro suo profert bona*: atque ita notat ibi Chrysostomus, homilia 14, et Augustinus, in aliquibus locis citatis, et lib. 3, contra litteras Petilianæ, cap. 14, hoc tamen in idem redit, quia bonus homo bona voluntate constituitur.

24. *Secunda opinio.*—Secundus modus dicendi esse potest fieri non posse, ut ab intentione bona procedat mala electio, et ideo non posse simul in tali electione esse aliquam bonitatem: quod dupliciter potest explicari, et fundari, primo, quia licet ex intentione rei honestæ possit oriri mala electio, tamen quando talis electio oritur, signum est intentionem illam non procedere ex motivo honestatis, sed tantum materialiter versari circa rem honestam, et ideo neque in se habere honestatem, nec communicare illam electioni, quia omnis intentio est causa electionis sibi proportionatæ: turpis autem electio non habet proportionem cum intentione honesti, ut honestum est. Item, quia quod est causa mali, malum est: ergo si intentio honesta esset causa malæ electionis, hoc ipso fieret mala: sed licet hoc, moraliter et regulariter loquendo, ita sit, tamen non est simpliciter necessarium, nec repugnat aliter fieri, nam qui intendit rem honestam etiam sub honesto motivo, etiam intendit rem illam materiale quæ honesta est: turpe autem medium, quamvis, ut malum est, non sit utile ad bonum, tamen ratione ejus, quod materiale est in ipso, potest esse utile ad rem honestam comparandam. Ergo etiamsi voluntas honeste intendat, potest libertate sua eligere quodlibet medium utile ad obtinendam rem intentam sive materialiter, sive formaliter utile sit.

25. Aliter ergo dicunt alii, si voluntas sic eligat, hoc ipso intentionem fieri malam, quia est causa mali, quod sentit Ægydius, in 1, d.

40, quæst. 1, art. 1. Sed hoc imprimis non evacuat difficultatem: nam sequitur in intentione ipsa simul esse bonitatem et malitiam, quia non potest amittere bonitatem, cum sit illi intrinseca, et essentialis, et prior electione: deinde in rigore id falsum est, quia electio, proprie loquendo, neque est intentio, neque circumstantia intentionis, sed quid posterius; ergo non potest illam inficere, si de se bona est. Item quia bona intentio de se non est causa malæ electionis, sed libertas voluntatis: ergo illa malitia non est tribuenda intentioni, sed causæ deficienti, quæ est voluntas, quemadmodum licet quando ex vero assensu fidei, et alia falsa præmissa infertur falsa conclusio, quamvis aliquo modo concurrat assensus fidei, tamen non est causa falsitatis, quia non ex illo, sed ex alio principio deficiente sequitur: ergo similiter cum intentio bona de se inclinet ad bonum, quamvis voluntas cum illa se determinet ad malam electionem, quatenus habet aliquam convenientiam cum bono, non est tribuenda malitia intentioni, sed voluntati: ergo inde non fit mala intentio. Dices posse contingere, ut homo videns talem finem bonum non posse obtineri nisi per unum medium malum, vel adhuc perseveret, vel denuo habeat efficacem intentionem talis finis, et tunc non potest illa intentio non fieri mala, quia est virtualis voluntas talis medii, et causa necessaria in sensu composito: atque ita Medina concedit, 1, 2, quæst. 19. Quando medium malum est unicum intentionem fieri malam ex electione. Dico tamen etiam in eo casu hoc improprie dici, nunquam enim intentio bona ex hac parte fit mala, sed vel a principio fuit mala, vel mutatur una intentio in aliam: si enim homo prius bona fide intendit honestum finem, ut sic, postea autem videt finem illum non posse obtineri nisi per malum medium, necesse est ut desistat a priori intentione, quia honestum motivum non movet nisi juxta regulas prudentiæ, unde non potest movere ad malum medium, quare si voluntas perseverat in ea prosecutione, vel signum est a principio non intendisse ex motivo honesto, vel certe necesse est, ut mutet intentionem, et quod prius amavit propter honestatem, amare incipiat propter naturalem inclinationem, vel aliam similem causam.

26. *Tertia opinio et communis.*—Tertius modus dicendi est. Etiamsi contingat hominem eligere malum medium ex intentione illa bona, electionem illam esse malam ex objec-

to: ex fine vero nullam habere bonitatem, quia electio non accipit bonitatem ex fine prout in se est, sed ex ordinatione medii ad finem: quamvis autem finis in se sit bonus, tamen ordinari malum medium ad finem bonum non est bonum, nec rationi consentaneum, et ideo ex hac ratione actus nullam accipit bonitatem. Accedit quod licet finis sit intentus ut honestus est, tamen per illam electionem non ordinatur medium ad finem, ut honestus est, sed absolute, ut talis res est, et ideo mirum non est, quod inde nullam accipiat bonitatem, et ista est communis sententia, in 2, d. 38 et 40. Solet autem hic quæri, an talis intentio bona, esto non det bonitatem saltem minuat malitiam, nam communiter ita omnes videntur affirmare. Favetque Augustinus, lib. contra Mendacium, cap. 7, et de Mendacio, cap. 14, in Enchyridio, cap. 18, dicens minus malum esse mentiri propter utilitatem proximi, quam sine causa. In contrarium vero esse potest, quia idem Augustinus, lib. 50, homil. in 7, et habetur in cap. Forte 14, quæst. 5, dicit: *Qui furatur, ut det eleemosynam, et dat, non minuere peccatum, sed addere peccatum peccato*. Respondetur ex parte objecti, neque minui, neque augeri malitiam malæ electionis ex bona intentione, quia idem objectum cum eadem deordinatione manet: at vero ex parte affectus, et voluntatis minuit aliquo modo quatenus minuit voluntarium, et liberum: potest etiam dici minuere quatenus impedit prius aliquod aliud motivum: per se autem nunquam auget, nam D. Augustinus, ultimo loco, non dicit augeri electionem, ex intentione, sed executionem electionis, nam qui dat rem furto ablatam, denuo peccat, quia denuo male utitur re aliena, præcipue si se reddat impotentem ad restituendum.

SECTIO II.

Utrum idem actus voluntatis successive possit esse bonus et malus.

1. *Prima opinio affirmativa.*—Duæ sunt opiniones, prima absolute affirmat, quam tenet Durandus, in 2, d. 40, quæst. 30, ubi Capreolus, quæst. 1, licet art. 1, conclusione 3, contrarium sentire videatur, tamen statim, art. 3, respondens argumenta Durandi in ejus sententiam incidit, dicens eundem actum physice moraliter mutatum ex bono posse fieri malum, quod etiam sentit Scotus, quodlibet. 18, art. 3, Cajetanus 1, 2, q. 19, art. 1, significat D. Bonaventura, in 2, d. 41, art. 1, ad penult.,